



Universitätsbibliothek Paderborn

**Onvphrii Panvinii Veronensis Fratris Eremitae
Augustiniani. De Praecipvis Vrbis Romae
sanctioribusq[ue] basilicis, quas Septem ecclesias uulgo
uocant, Liber**

Panvinio, Onofrio

Romae, 1570

De oratorio S. Siluestri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11316

jus ab Apostolica sede descivierat, & propterea ab eodem papa dignitate multatus fuerat, ut commemorat Anastasius Bibliothecarius.

De oratorio s. Siluestri.

Oratorium s. Siluestri est in porticu Lateranensi ante uetus patriarchum, ubi sunt duæ sedes perforatæ porphyreticæ, quod quis condiderit incertum. Primum de eo mentionē fieri in Zachariæ papæ uita apud Bibliothecariū inueni, qui sic scribit: Zacharias papa sacris imaginibus tā oratoriū R. Siluestri, quām omnē porticū decorauit. Hoc oratorium habet in medio altare uacuū, reliquias (ut credi par est) plenū, tectū ligneum, & imbricatum, pavimentum tessellatum. Supra portā uero tabernaculum marmoreum sustētatum a duabus colūnis porphyreticis, in quo diu locata fuit uetus s. Saluatoris imago, que a quodā Iud. eo olim in frōte percussa sanguinē emīsit. Hodie tabernaculū semifractum tātum supereſt. Pauso extra portam sunt duæ antiquæ sedes porphyreticæ perforatæ, una scilicet ex utraque parte, que in antiquis thermis lotionis usui fuere: postea a Romanis pontificibus eo loci positæ, in quibus cæremonias quādam recēs creati peragere solebant. Nōstro tempore, die S. Silvestri in eo Oratorio Canonici Lateranenses sacra missarū solennia celebrant. Erant in hoc palatio ædiculæ, siue facella, & aliquot basilicæ, ut Vigiliū papæ, Iulia, Zachariæ papæ: item oratoria S. Cæsarij martyris, S. Sebastiani, alias basilica Theodori papæ, S. Petri, S. Crucis, S. Georgij, & Sancti Gregorij Papæ: item

cellaria

cellaria maius & minus , uestiarium , uicedominium ,
in quo papæ Vicedominus , siue (ut hodie dicimus) Vi-
carius habitabat , & alia multa ædificia , quæ passim Bi-
bliothecarius in Romanorum Pontificum uitis comme-
morat , q̄ omnia diruta sunt , & nulli amplius cognita .

De oratorio S. Laurentij , quod nunc dicitur
SANCTA SANCTORVM .

Ex quodam obscuro loco Anastasii Bibliothecarij ,
conicere possumus , sacellum , quod nunc Sancta sancto-
rum dicitur , olim dicatum fuisse a papa Theodoro san-
cto martyri Christi Sebastiano , ideoque Theodori Pa-
pæ basilicam aliquando uocitatem fuisse . Nam biblio-
thecarius in ea ædicula , quam basilicam uocat , aposto-
los reconditos fuisse innuere uidetur , his uerbis in uita
Papæ Sergij : Egressus idem beatissimus pontifex Ser-
gius foris basilicam , quæ dicitur domini Theodori pa-
pæ , apertis ianuis , sedens in sede sub Apostolis , gene-
ralitatem militiæ , & populi , qui pro eo occurrerant ,
honorifice suscepit , eosque rogauit , ne Zacharium Spa-
tarium , quem occidere uolebant , uiolarent . Ego por-
ro ex uerbo illo (sub Apostolis) existimauit aliquando
hanc basilicam Theodori papæ fuisse , quam S. Sebastia-
no dedicasse refert Bibliothecarius . Sed hanc leuem co-
iecturam esse , quis facile suspicari poterit . Nam capi-
ta Apostolorū eo loci illo tempore fuisse ex ipso Biblio-
thecarij loco non ita clare elici posse existimo . Illud ad-
de , quod paulo post in uita Stephani 111 . idem Biblio-
thecarius aperte huius Oratorijs S. Laurentij sic mentio-
nem